

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO V.  
De  
PÆDOBAPTISMO.

PRO SECUNDA PARTE  
EXAMINIS CONCILII TRIDEN-  
tini Reverendi & clarissimi viri, Dn. D.

MARTINI CHEMNITII,

II. capitibus constans,

I. De parvulorum baptismo.

II. de fide infantium baptizatorum.

Quam ventilandam  
Præside

SALOMONE GESNERO,

SS. Theol. D. & Profess. in Academia Witeb.

Publ. proponit in Templo Arcis Elect. 15.

Junij Anno Christiano 1603.

JOHANNES ZESEMANNVS,  
Hamburgensis.

WITTEBERGÆ

Typis Meisnerianis.

V I R O  
CLARISSIMO ET CON-  
SULTISSIMO,

DN. JOHANNES BEERMANNI  
I. V. D. & Professore in Academia VVitebergensi Pub-  
lico, proq; tempore Prorectori Magnifico.

NEC NON

*Amplissimis, Prudentiâ, Virtute, Doctrina, Authoritate, lon-  
goq; rerum usu Præcellentissimis viris,*

DN. WERNERUS SCHÖDERI

DN. CASPARUS ANREIMANNI

DN. EBERTHARDUS ESCHZI

Celeberrimi Emporij Hamburgensis Sena-  
toribus dignissimis.

UT ET

*Viris Natalium splendore, virtute, & dignitate præclaris,  
temploq; Petrino Iuratis fidelissimis,*

JOHANNES BEERMANNI

NESTORUS WERDEI

Dominis, Patronis, Mecœnatibus, & fautori-  
bus meis summo observantiæ studio  
officiosè colendis,

*Theologicam hanc disputationem in debita gratitudinis, observantiæ &  
honoris μνημόσυνον perpetuum offero & inscribo*

IOHANNES ZESEMANNUS,  
Hamburgensis.



CAPVT PRIMVM.  
DE PAEDOBAPTISMO.

THESIS I.



Quod Baptismi Sacramentum, (excepto inevita-  
bili privationis & impossibilitatis casu) homini  
ad salutem, ut causa instrumentalis, necessarium  
sit, adeo ut omnes vel temerè negligentés, vel  
contemnentes aeternum perituri sint, quodq; sit  
prima quasi janua, per quam è regno hujus mun-  
di ac Satana in Ecclesiam & regnum Christi ingredimur, supra  
satis demonstratum ac probatum est.

II.

Quod cum sciret Satanas, per Anabaptistas graves ob Pa-  
dobaptismum in Ecclesia excitavit turbas & contentiones, qui-  
bus (sed irritò planè conatu) salutiferam istam januam infanti-  
bus obstruere posset.

III.

Quare horum inanis molitio, ac hæresis impia, tacito, quod  
ajunt, pede non prætereunda, sed accuratè examinanda est, ut  
puritatem majestatemq; sacri baptismatis ab illorum blasphemis  
vindicemus, eamq; sanctam teçtam custodiamus atq; ad posteros  
propagemus.

IV.

Quod ut eò explicatius fiat hac quidem vice (cum superiori  
disputatione viximus de baptismo actum fuerit) eidem de reli-  
quis questionibus cum deo agemus: 1. dicturi, de subjecto sive  
objecto, circa quod baptismus versetur, id est, de baptizandis,  
seu quinam sint homines, quibus sit baptismus conferendus: 2. de  
fide parvulorum, an scilicet veram, salvificam & propriam in-  
fantes in baptismo habeant fidem, servantes interim eandem me-  
thodum, quam hic Autor noster Dn. Chemnitius servat; hoc est,  
ut à thesi ad antithesin progrediamur. Thesis quidem ponat &

A 2

exponat

exponat puram & Orthodoxam sententiam: rejectionem verò heterodoxæ contineat antithesis.

## V.

Ad primam questionem quod attinet, initiò considerandum est, quinam baptizandi sint? Nos edocti sacris literis, categoricè & sine ulla conditione adhibita, cum Augustana Confessione & autore nostro, simpliciter asserimus, baptizandas esse omnes gentes, teste primum ipso Christo: Docete & baptizate O M N E S gentes Matth. 28. v. 19. Sub qua universali particula, infantes quoque contineri, utpote gentium & populorum partem longè maximam ac numerosissimam, nemo sanà mente præditus est, qui negare ausit. Testatur enim salutem in baptismo ex æquo & sine discrimine offerri & exhiberi omnibus omnium ordinum, ætatum, & nationum hominibus.

## VI.

Sicut enim Deus citra discrimen nationum, sexus & gentium omnes vult ad agnitionem veritatis venire & salvos fieri: ita quoque absq; differentia ætatis cum omnes tam parvulos, quam adultos regni cælestis cives seriò velle scribi nullum est dubium: Gal. 3. 27. 28. 1. Iohan. 2. cum nemo in regnum cælorum ingredi queat, nisi ex aqua & Spiritu fuerit renatus. Iohan. 3.

## VII.

Secundò patet hoc exemplo Apostolorum, qui olim omnibus ubiq; gentium adultis Evangelicæ doctrinæ fundamento instructis, eorumq; etiam liberis baptismum contulerunt: quandoquidem integras familias, quarum non postremam, sed præcipuam portionem liberi constituunt, baptizarunt; ut videre est Act. 2. v. 39. 41. c. 8. 13. c. 19. 3. 4. c. 22. 16.

## VIII.

Tertiò constat idipsum unanimitè consensu Orthodoxæ antiquitatis. Cyprianus enim lib. 3. epist. 8. inquit: Hæc fuit in concilio nostro communis sententia: A baptismo, & à gratia Dei, qui omnibus misericors, benignus & pius est, neminem per nos excludi

cludi debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse, cum Dominus Petro dixerit: Neminem hominum communem, & immundum esse dicendum. Act. 10. 28.

## IX.

Hinc duo emergunt hominum baptizandorum ordines; adultorum unus, infantium alter. De adultis nulla hætenus fuit Ecclesiæ mota lis & controversia. Hi enim de capitibus Christianæ religionis prius instituti merito baptizantur: exemplo Baptistæ Matth. 3. 6. 7. Marc. 1. 4. 5. & Apostolorum. Act. 2. 38. & 8. 12.

## X.

Infantes verò ut ratione suâ uti: sic etiam de religione institui non possunt. Ac cum eundem ob defectum periculo ὑποκεισθῶς obnoxij non sint; ideo sine mora & cunctatione ad Baptismum admittuntur, ut exemplo Isaaci liquet, quem Abraham octavo die sine institutione capitum religionis secundum pactum Domini circumcisit, Gen. 17.

## XI.

Anabaptistæ verò postremis hæc temporibus baptismum infantium vehementer impugnarunt.

## XII.

Fundamenta suæ assertionis ista fermè attulerunt: 1. enim dicunt altum esse in scriptura de infantium baptismo silentium. 2. parvulos non egere baptismo, quia careant peccato originali. 3. Maledictum esse idolum (horresco referens) non ab Apostolis, sed à Romanis pontificibus, imprimis à Nicolao Papa inventum, & quæ sunt hujus generis absurda alia: hæc vero quanti sint momenti, in ipso cursu disputationis audiemus.

## XIII.

Secundò hic venit perpendendum, quinam infantes hoc loco intelligendi sint: nempe 1. illi, qui integrè, plenè, perfectè, & cum omnibus membris in hanc lucem sunt nati: Non autem illi, qui partim sunt editi, partim in utero adhuc hærent, ita quidem, ut minister corpus prægnantis aquâ aspergere, vel exertum aliquod

A 3

membrum

membrum baptizare vellet. Nam quibus carnalis non competit  
nativitas, illis spiritualis regeneratio ex aqua & Spiritu compe-  
tere nequit. Regeneratio enim semper presupponit generatio-  
nem primam, monente Isidoro de summo bono lib. 1. cap. 4. Qui in  
maternis uteris sunt, ideo baptizari non possunt: quia qui natus  
adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non renas-  
ci, neque regeneratio in eum dici potest, quem generatio non pra-  
cessit.

## XIV.

Deinde illi, qui in Ecclesia sunt nati, hoc est, quorum paren-  
tes Christianam religionem profitentur: juxta promissionem cir-  
cumcisioni additam, in cuius locum baptismus successit, ero Deus  
tuus & Deus seminis tui Gen. 17. & Petrus ait Act. 2. Vestra est  
promissio & liberorum vestrorum.

## XV.

Infantum autem, qui infideles parentes habent, alia est ra-  
tio: Distinguiamus enim inter eos, qui vel bello capti, vel precio  
emti, vel legitimâ aliâ ratione in Christianam tutelam & pa-  
triam quasi potestatem translati & adoptati sunt, ita quidem, ut  
sint jam ex nostris domesticis: Et inter hos, quorum parentes  
Christianorum subsunt imperio, sed ita, ut concedatur illorum pa-  
rentibus sua qualiscumque αυτονομία, cum in Ecclesiasticis, tum po-  
liticis, maxime & in œconomicis. Qualiter hodie subjecti sunt Ro-  
mano imperio, vel alijs Christiani nominis regnis, Iudaei, qui &  
passim in Imperialibus civitatibus, alibiq; degunt.

## XVI.

De prioribus parentum infidelium liberis, qui pars Oecono-  
mia nostra facti sunt, tuto affirmare possumus, tum exemplo  
Abrahae, Gen. 17. qui servorum infidelium filiolos (quos vernas  
appellamus) jussu Dei circumcidit: tum etiam exemplo Moysi,  
qui ad societatem esus agni Paschalis eosdem quoque admisit secun-  
dum legem, eò quod ad familiam Iudaorum accessissent Exod. 12.  
absq; omni mora & cunctatione baptizari illos posse ac debere.



## XVII.

De posterioribus vero, qui non ita transeunt in nostras familias, sed sunt & manent sub potestate infidelium parentum, quales sunt hodie Iudeorum & Turcarum infantes, inter Christianos habitantium, pronunciamus: quod nequaquam vi ex parentum potestate eripiendi & baptizandi sint, parentibus reclamantibus & repugnantibus: quia contradicit. 1. Paulus 1. Cor. 5. v. 12. inquit: Quid ad me attinet etiam de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. 2. quia baptismus solius Ecclesie καμῖλιον proprium est, cuius jus & usus extra Ecclesiam sese non extendit. 3. quia nullum mandatum divinum in universa scriptura, nullum simile vel veteris (ratione circumcisionis) vel novi (ratione Baptismi) exemplum usquam reperitur.

## XVIII.

Iam igitur pro assertionem nostram affirmativa, contra Antagonistas negativè disputantes, certa, firma, & illustra fundamenta, non quidem ex stulta ac ceca rationis collectiunculis: sed ex perspicuo & immoto Dei verbo, & perpetuo purioris ac Catholicae Ecclesie consensu, quod & quare infantes sint baptizandi, desumemus & extruemus.

## XIX.

Ac initio quidem ipse Christus disertis verbis de infantibus, quos Lucas cap. 18. v. 15. τὰ βρέφη vocat, quos adhuc in ulnis ferebant, pronunciat: Sinite parvulos venire ad me, & non prohibete illos: talium enim est regnum caelorum. Est autem regnum caelorum non ita infantium, sicut est angelorum. Hi enim sunt sine peccato: illi vero in peccatis concipiuntur & nascuntur Psal. 51. v. 7. Ioh. 3. v. 6. Quod natum est ex carne, caro est. Caro vero regnum Dei non potest possidere 1. Cor. 15. Eramus enim natura filij irae Eph. 2. v. 3. Necessum ergo est, ut infantes à peccato, ira Dei, & damnatione liberentur, si debent heredes fieri regni caelorum. Nemo autem à malis illis liberari potest, & ad regnum caelorum



lorum pervenire, nisi per gratiam Dei propter meritum Christi mediatoris.

## XX.

Offert autem hanc suam gratiam Deus non sine medijs, sed ad hunc usum certa instituit & ordinavit organa, & ministerium in Ecclesia ideo sanxit, ut media illa offerrent & applicarent omnibus illis, ad quos pertinet promissio Evangelij de gratia Dei & salute eterna. Cum verò Christus seriò velit infantes non perire, sed participes fieri regni calorum, illorumq; beneficiorum: igitur omninò necesse est, ut ex medijs divinitus ordinatis, aliquid sit, quod ad infantes pertineat.

## XXI.

Quæritur ergo non injuriâ, cum per ista media infantibus pateat aditus ad Christum, quodnam istorum sit? Num prædicatio verbi? At certum est, nuda aut sola prædicatione verbi, pœnitentiæ, & remissionis peccatorum cum infantibus agi non posse: illa enim requirit auditum Rom. 16. 17. Cogitationem, meditationem Psal. 119. 34. 47. intellectum Matth. 13. 15. 19. 23. quæ in infantibus non inveniuntur. De cana quidem Domini, inquit Paulus 1. Cor. 11. v. 28. Probet seipsum homo: item dydicet corpus Domini, sed id infantibus tribui non potest, quippe cum seipsos probare & corpus Domini dydicare nequeant. Superest igitur ex medijs applicationis in Novo T. baptismus, qui est sacramentum initiationis, quo Christo accingantur, ipsius justiciâ præmuniantur. Gal. 3. v. 27. & quo illis peccatorum remissio, ne æternùm pereant, applicatur. Eph. 5. v. 26. Act. 2. v. 38. c. 22. 16.

## XXII.

Secundò stabilitur ejusdem Pædobaptismi veritas severissimo Salvatoris mandato Matth. 10. v. 15. Nisi quis acceperit regnum Dei, sicut parvulus, non intrabit in illud. Atqui adultis nemo negat (si modo fidem suam profiteantur, & per baptismum petant se Ecclesie Dei inseri) quo minus renascantur ex aqua & Spiritu, ut introëant in regnum calorum. Ergo nec infantibus negan-

negandum est. Adulti enim accipiunt regnum Dei, sicut & infantes juxta Christi sententiam.

## XXIII.

Tertiò eundem quoq; filius Dei comprobat, quando infantes sibi offerri & ad se adduci jubet: inquit, sinite parvulos venire ad me &c: corporaliter autem & visibiliter infantes Christo in ulnas ponere non possumus: igitur alia ratione tentandum est, quo pacto fieri hoc possit. Scriptura autem monstrat certam viam, quâ possumus infantes eò adducere, scilicet per baptismum. Nam quotquot baptizantur, Christum induunt Gal. 3. 27. Sequitur ergo ἀποδεικτικῶς voluntatem & mandatum Christi esse, ut baptizentur infantes.

## XXIV.

Ogganniunt autem hic Anabaptista, pueros producto loco grandiusculos fuisse, siquidem eos nominant Matthæus & Marcus τὰ πρῶτα: ideo ad baptismum infantium locum illum minus validum. Sed miserum hoc Catabaptistarum effugium est: Lucas sanè luculèter explicat, quales parvuli fuerint, quando τὰ βρέφη cap. 18. v. 15. portata fuisse, & non pedibus suis venisse ait: προσέφερον δὲ αὐτῷ τὰ βρέφη afferebant ad ipsum & infantes. Vbi τὸ βρέφει infantem adhuc lactentem, & ab uberibus matris pendentem denotat: sicut Baptista in aluo maternâ latitans, & ad salutationem Mariæ exiliens τὸ βρέφει vocatur Luc. 1. 44. Nihil igitur presidij in hoc loco collocare possunt, præsertim cum exactè nostra sententia hic stabilietur & confirmetur.

## XXV.

Huc accedit duplex Christi asseveratio: Amen Amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Cælorum Joh. 3. v. 3. quâ concludimus, nullum alium aditum (si ordinariam viam spectemus) parvulis in regnum Cælorum patere, quam quod ex aqua baptismi virtute divini Spiritus, regenerari possint: Qua de re Hieronymus lib. 12. Comment. in Ezech. Non solum dicit, primâ indigemus nativitate, sed & secundâ, ut nati in carne, renascamur Spiritu.

B

26. Ne



## XXVI.

Ne vero asseveratio isthæc in solis adultioribus locum habere videatur, utpote, cum Nicodemus, cum quo tum sermocinabatur Dominus, ætatis esset provec̄toris, ex templo subdit: Quicquid ex carne natum est, caro est, subindicans, homines, quatenus à parentibus suis naturaliter generantur, & in lucem hanc nascuntur, totos esse carnales, naturaliterq; ita affectos & corruptos, ut regni Dei tantisper exortes mancant, donec vitium illud originale, quod ex generatione carnali illis adhærescit, in baptismo remittatur.

## XXVII.

Cum autem carnalis nativitas in prima infantia vestibulo infantibus contingat (aliàs enim non essent caro de carne, quando in lucem nascuntur, quod est *παράδοξιον*) dubium nullum esse potest, quin sub complexu sententia huius tenelli quoq; infantes comprehendantur, inclusiq; teneantur, atq; sic aquè ex aqua & spiritu renasci indigeant, ac adulti.

## XXVIII.

Hiscè Propheta Esaiæ testimonium de tempore N. T. vaticinantis addi potest non incommode: Ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt cap. 49. v. 22: inuentis, parentes adducturos aliquando infantulos suos, & petituros, ut per baptismum Ecclesie inserantur, & sic fieri possint filij & filia Dei, cum prius fuissent filij & filia iræ Eph. 2. v. 3.

## XXIX.

Præter argumenta modo producta, testatur etiam praxis Apostolorum, qui nonnunquam integras domos baptizarunt, ut Lydia Act. 16. v. 15. Crispi Archisynagogi cap. 18. s. & Stephane domum 1. Cor. 1. 16. In quibus omnibus nullos infantes fuisse veritati consentaneum haut est.

30. Tandem

## XXX.

Tandem constat hoc ex perpetuo & laudabili consensu antiquitatis, qua jam inde ab Apostolorum temporibus semper infantibus communicavit baptismum.

## XXXI.

Divus enim Augustinus ex circumcisione colligit in N. T. baptizandos esse infantes. Baptismus enim, inquit, successit in locum circumcisionis Col. 2. 11. Et idem est fœdus pacis, & pactum gratia utrobiq;: Et quia illius fœderis ratio, quoad infantes attinet, Apostolis ex ratione circumcisionis jam nota erat, ideo Christus contentus fuit generali mandato de Baptismo, nec opus iudicavit de infantibus peculiariter aliquid præcipere. Nam nec famellarum peculiaris fit mentio, sed sententia Matth. 28. 29. Mar. 16. v. 15. Viuntur genere Masculino, & tamen ex causa, ratione, & sine institutionis, rectè iudicatur etiam fœminas baptizandas. Et Sermo: 14. de verbis Apostoli scribit: Baptizandos esse parvulos, quando nec illi (Pelagiani) dubitant, qui ex parte aliquâ contradicunt: Sed nos dicimus, aliter eos salutem & vitam æternam non habituros, nisi BAPTIZENTUR in Christo. Sic lib. 4. de baptis. contra Donatistas c. 24. ait: Baptismus parvulorum, quem universa tenet Ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum esse, rectissime creditur.

## XXXII.

Et Origenes in cap. 6. ad Rom. scribit: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem etiam parvulis dare baptismum: sciabant enim illi, quibus arcana mysteriorum commendata fuerunt, quod SINT in omnibus genuina sordes peccati, QVAS PER AQUAM ET SPIRITUM SANCTUM aboleri oporteret.

## XXXIII.

Quod autem prædicti Patres Pædobaptismus traditionem nominant Apostolicam, sciendum est, nequaquam eos intelligere ἄγραφον traditionem non scriptam, pro quâ acriter

B 2

dimicant

dimicant Pontificij, quasi propter Ecclesie consuetudinem & nudum titulum TRADITIONIS Pædobaptismus sit amplectendus, licet interim nullo scripturae testimonio probari & confirmari possit: Minimè. Nam etiam scriptæ traditiones Apostolicae extant. Paulus ipse suam doctrinam, traditionem scriptam vocat, 1. Cor. 13. v. 23. & 1. Corinth. 15. v. 3. Sed ἡ γραφή scriptam traditionem, quæ quidem viva voce prædicata, deinde literis consignata fuit.

## XXXIV.

Non hic incommodè quæstio de infantibus expositiis institui potest: An scilicet huiusmodi infantes, de quorum baptismo merito dubitatur, licet schedula adjuncta illis sit, quæ baptizatos eos, nomenq; impositum esse affirmet, sint baptizandi, & si baptizentur, baptismus tum dicendus sit iteratus.

## XXXV.

Resp. Si nullum testimonium hominis piij & fide digni adsit, qui certò & indubitanter ipsos baptizatos testetur, Orthodoxa Ecclesia, ut non baptizatos, baptizandos rectè iudicat ommissis conditionalibus: si baptizatus es, ego te non baptizo: si non baptizatus es, ego te baptizo, quas conditionales particulas ius Canonicum Alexandrum Papam statuisse refert, ut illi, de quorum baptismo dubium esset, conditionaliter baptizentur.

## XXXVI.

Hoc enim piè ac verè comprobatur Magist: Sentent: distinct: 6. lib. 4. pag. 304. & Præterea: his verbis: Notandum est, de quibus nulla extant indicia inter propinquos, vel domesticos, vel vicinos, à quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne pereant: in quibus quod nõ ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum: Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. De hac enim re tam ardui momenti, quæ nostram concernit salutem, certè non suspicari, sed contra ignita tela Diabolarum tentationum, & fluctus

fluctus dubitationum conscientia certos nos esse oportet: Diabolus enim non dormit, sed vigilat, & circumit dies noctesq; homines, tanquam Leorugiens, quarens quem devoret. 1. Pet. 5. 8.

## XXXVII.

Quare nec Schemata appensa considerare certo possumus, siquidem illa signum potest esse fallibile, & ex rebus Diaboli, & hominum perversorum adjuncta, ut hac ratione, cum adleverint eo melius in tentationes & desperationes pervenire & adduci queant. Vt ergo infantes isti, certa habeant arma, quibus hostem illum aggredi, ejusq; jacula & ictus elidere possint, judicamus necessario tales baptizandos esse. Neque baptismus iste iteratus dici potest, cum Ecclesia de priori nihil certi constet.

## XXXVIII.

Reliquum est, ut, antequam accessum faciamus ad argumentorum quorundam refutationem, paucis circa hoc caput primum, utriusq; sectae Anabaptisticae & Calvinisticae συνηθησιν μὲν indicemus.

## XXXIX.

Quamvis vero Calviniani in speciem Anabaptistas impugnent, tamen una cum ipsis baptismum suam virtute ac efficaciam spoliant: dum baptismum nudum tantum esse signum, & omni regeneratione ac renovatione vacuum, eumq; baptizatum nec adoptare in regni Dei hereditatem, contra expressam D. Pauli mentem asserunt & fingunt, Gal: 3. 27. Eph. 5. 26. Quicumq; baptizati estis, Christum induistis.

## XL.

Et hoc propria illorum testantur verba: Sic enim scribit Calvinus lib. 4. Inst. cap. 25. sect. 22. Non ideo baptizari fidelium liberos, ut filij Dei tunc PRIMUM fiant, qui ante alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius SIGNO ideo recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio IAM ANTE ad Christi corpus pertinebant.

B 3

Et Beza

## XLI.

Et Beza in prafat. ad Acta Colloq: Mompel. fol 22, & in Colloquio Mompel. fol. 445. Item in quest: & respons. quaest. 124. pag. 78. 79. scribere non erubescit. Pueros neq; omnes, neq; aliquis, (ERGO NULLOS) RE IPSA in illo baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demum tempore, diuinitus ordinato, (intellige in senectute) illum baptismi actum in infantibus ex VERBI AUDITU subsequi.

## XLII.

Ex his itaq; cum constet, Sacramenta nuda Calvinianis esse Symbola, quod est ipsissimum Anabaptistarum dogma; mirum sane videtur, cur non cum illis Pedobaptisimum quoque differant, donec infantes adoleverint, & per auscultationem verbi imbuti fide baptizari salutariter (ut ipsi censent) potuerint.

## XLIII.

Posita & confirmata thesi, consequens est, ut ad Anthitefin, hoc est, ad objectiones Anabaptistarum, earumq; refutationes veniamus.

## XLIV.

Sunt autem inter argumenta, quae ab adversarijs opponi solent, duo praecipua, sumta ex institutione Baptismi, in qua bina illa coniunguntur, 1. Docere & baptizare: 2. Credere & baptizari. Vnde inferunt, 1. cum neutrum vel doceri, vel credere infantibus conveniat, idcirco eos non esse baptizandos. 2. cumque verbum DOCERE primum habeat in institutione locum. Ergo prius esse docendum, quam baptizandum.

## XLV.

Resp. 1. Certum est Christum coniungere doctrinam seu verbum & baptismum. Non enim muta est lotio Baptismus, sed est lavacrum aquae in verbo, Eph. 5. 26. Quod & Megalander Lutherus sua definitione catechetica testatur, dum ait: Baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua septa mandato Dei, & verbo Dei conjuncta. Baptismus igitur nec potest, nec debet esse sine ver-



sine verbo, suffragante Augustino: Tolle verbum ex baptismo, & quid erit aqua, nisi aqua? Non autem inde sequitur, infantibus denegandum esse baptismum. Est enim pars doctrina Evangelij, quod etiam infantes pertineant ad promissionem Novi T. Act. 2. v. 39. ad Ecclesiam Esa. 49. 22. ad regnum caelorum Matth. 29. 14. Igitur & illa pars doctrina per baptismum ob-signanda est infantibus.

## XLVI.

Deinde plus concludunt, quam praemissa concedunt: & simul committunt παραλογισμὸν παρὰ τὴν ἀγνοίαν, τὸ ἐλέγχει. Christus enim quando Apostolos suos ad Evangelium universis orbis nationibus promulgandum misit, non signatè addidit: Vtrum prius docere, & postea baptizare, vel utrum prius baptizare, & postea docere debeant. Unde certum est, eam esse Christi mentem, ut adultos verbo Dei informet, & praemuniat, & ita conversos baptizet: Baptizatorum liberos sine omni institutione baptismo Christianos faciant, secundum consuetudinem in institutione circumcisionis observatam Gen. 17. v. 1. 2. 3. 23. 24. Deut. 6. v. 21. 22. Nam verbum μαθητεύσατε, quo Christus utitur, in genere significat Christi discipulum facere, sive illud per verbi fiat institutionem, sive per initiationis Sacramentum.

## XLVII.

Quamobrem à nobis idem requiritur, ut quamprimum infantes in Ecclesia nascuntur, eos baptizari curemus: hoc modo, ut baptismus precedat, auditus verbi paulatim subsequatur, id quod colligi potest ex scriptis Apostolorum Eph. 5. v. 1. 1. Ioh. 2. v. 12. ubi quidem Apostoli parentibus dant instructionem: quomodo educare debeant suos liberos, non autem addant postea primum esse baptizandos.

## XLVIII.

Aliud argumentum Anabaptistarum est: quod Christus conjunxit credere & baptizari: Hinc inferunt, infantes credere non possunt. Ergo nec baptizari.

Respon-

## XLIX.

Respondemus *U<sup>t</sup> B<sup>ro</sup>uop* per inversionem: infantes naturā non credunt, Ergo baptizandi sunt, ut ex non credentibus verē credentes fieri, & ita remissionem peccatorum per Spiritum S. accipere possint.

## L.

Patrocinium hic Anabaptistis suppeditant quoq; Iesuite non exiguum (Bellar: lib. 1. de Baptif: cap. 8. & collocut. in Colloqui. Ratisb. sess: 12. pag: 55. negantes P<sup>ro</sup>dobaptismum nec expressē in scriptura extare, nec evidentiatione ex ea deduci posse, seposita Ecclesia (Catholica Romana) autoritate. Contra quos militant evidentissima S. scriptura testimonia suprā allegata.

## LI.

Hac jam sunt illa Achillea, si Dijs placet, adversariorum argumenta, quibus nostrum P<sup>ro</sup>dobaptismum evertere, & ex Ecclesia Pomærijs penitus eliminare conantur: cetera in ipso disputationis progressu, Deo benè juvante, plenius excutientur.

## LII.

Errant igitur & insaniunt circa hoc caput 1. fanatici Catabaptista, qui miseros puerulos, Sacramento initiationis, omniq; ad Christum accessu minime spoliare erubescunt, contra expressam mentem & voluntatem Salvatoris, imò contra Evangelistarum & Apostolorum Harmoniam, & concentum, quem accessum aliàs ipse Dominus eis patere voluit, ut hoc salutaris medio benedictionem Cælestem in illos confirmet.

## LIII.

Secundò Pontificij, qui aras, Campanas, templa, aliasq; res inanimatas baptizant, ludibrio interim insigne salutis nostræ Sacramentum exponentes.

## LIV.

Tertiò Cerinthiani, qui olim mortuos baptizabant, nixi pravo intellectu verborum Apostoli 1. Cor. 15. v. 29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent:

gent: quib. sanè Apostolus mortuorum baptismum neuiquam introducit, siquidem is non est institutus pro planè indocilibus, quales sunt mortui, sed pro Doctrina vel potetiâ vel actu capacibus. Deinde quia baptismus mortuis collatus planè inutilis est & inefficax: Cum quilibet iudicatur à Deo, prout in corpore vixit 2. Cor 5. 10. Sed vult verba illa intellecta, tum de ritu primitivæ Ecclesiæ recepto, quo solebant Catechumeni baptizari ad sepulchra mortuorum, ut hæc Ceremoniâ testatam redderent fidem suam de articulo resurrectionis mortuorum teste Eusebio lib. 4. cap. 15. hist. Eccles: tum etiam de ipso articulo resurrectionis: Credo sc: mortuorum resurrectionem, super quem Christiani baptizari consueverunt. Vnde hodie in administratione baptismi recitatio Symboli Apostolici in Ecclesijs nostris retinetur, & observatur.

CAPVT II.  
DE FIDE INFANTIVM.

I.

Haftenus de objecto seu baptismo infantium. Transeamus nane ad alterum disputationis nostræ caput, de fide infantium: Sicutne Infantes, qui baptizantur verâ, salvificâ, & actuali fide præditi.

II.

De hoc varia variorum sese offerunt hominum strophe, quæ quidem à se inuicem dissentire, reverâ tamen ad unicum quasi scopum colimare videntur.

III.

Quidam enim simpliciter disputant, omnia scriptura dicta, quæ directè parvulorum fidem stabilire & confirmare nos asserimus, ad adultos dumtaxat pertinere, nequaquam ad infantes, quos gratia quidem Dei, sed sine fide salvari sentiunt: quibus sanè sine scriptura auctoritate, medium aliquod fingunt, inter fidem & incredulitatem, inter fideles & infideles: Cum tamen immediatè contraria sint, fides & incredulitas, fideles & infideles. Sicut ex illa dixotomia Salvatoris Christi patet Marci 16. 16. Qui crediderit etc. quæ totum mundum in duas quasi hominû classes dispeicit: Credentium & non Credentium. Credentibus vero tribuit vitam æternam; Incredulis damnationem.

IV.

Scholastici autem & Pontificij scriptores, varias opiniones de infantium fide habuerunt. Quidam enim in baptismo, in pueris nondum ratione utentibus, nullas infundi virtutes, nec secundum actum, nec habitum,

bitum, nec radicem, sed in adultâ demum aetate, vel si in infantia moriantur, & baptizati sint, in separatione anime à corpore, virtutes illis conferrî, affirmarunt. Alij in baptismo conferrî nec habitus, nec actus virtutum, sed radicem earum, quæ sit gratia, disputarunt. Alij radicem illam characterem Baptismi, & eius radicis ramos progressu aetatis fieri habitus virtutum, ex quibus suo tempore sequantur actus, fecerunt. Alij deniq; in parvulis baptizatis infundi habitus virtutum, non autem actus, seu quoad usum, optinati fuerunt. Quam opinionem Bellar. lib. 1. de B. c. 11. ut  $\phi\alpha\lambda\alpha\sigma\mu\epsilon\nu\omega\varsigma$  veram amplectitur, præsertim, quia Clemens eam in Concilio Viennensi probabiliorem reliquis iudicaverit.

## V.

Nostri vero Tridentini Anathematis fulmine damnant, si quis dixerit, parvulos, qui baptizantur, habere actum credendi. Per actum autem omnem operationem, & actionem Spiritus S. in parvulis baptizatis intelligunt. Et ne sine fide eos baptizari sentire videantur, ipsos in solâ Ecclesia fide baptizari dicunt.

## VI.

Cæterum Calviniani multas etiam quaritant latebras, quibus incautis fucum facere possunt. Alij n. qui tenaciores Pontificijs sunt, omni fide carere infantes scriptitant. Alij qui liberaliores haberi volunt, dicere consueverunt, infantes propriâ actuali fide quidem destitutos, habere autem fidem quandam inclinativam: hoc est, actum quidem fidem non habere, sed  $\delta\omega\acute{\alpha}\mu\alpha$  tantum, eaq; remota per inclinationem, sicut infans aliquis  $\delta\omega\acute{\alpha}\mu\alpha$  est Poëta, Doctor, &c. Alij docent infantes habere semen seu radicem fidei. Alij deniq; papizant, infantes in fidem parentum, & Ecclesia, non in propriam fidem baptizandos esse.

## VII.

Nos contra statuimus & profitemur, infantes credere, tam quoad actum, quam quoad habitum fidei, qui quidem in infantibus, vel in utero materno adhuc existentibus, vel in lucem jam editis non contingit ante & extra baptismum, sicut falso nobis ab Antagonistis asseritur: sed Deus ordinariè illam, in & per baptismum in infantibus confert occulto nobisq; inexplicabili modo. Ioh. 3.

## VIII.

Et hoc nostrum assertum in viëtis nititur scripturae fundamentis. In iudicio enim Christus expressè hoc confirmat Mar. 10. 14. Amen dico vobis, nisi



nisi quis acceperit regnū Dei, SICUT PARVULUS, non intrabit in illud. Et Matth. 18. v. 3. Amen dico Vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini, SICUT PARVULI, non intrabitis in regnum Cælorum. Ex his primam sic ratiocinamur: Regnum Cælorum non nisi fide accipitur & possidetur Iob. 3. 18. Eb. 11. 6. Iubemur autem accipere regnum, sicut parvuli Mar. 10. 14. Luc. 12. 17. Ergo, ut parvuli fide sint praditi, necessum est. Secundo, Quicumq; vult ingredi regnū Cælorum, debet effici similis parvulis: At vero qui vult ingredi regnum Cælorum, non debet esse similis infidelibus. E: parvuli non infideles, sed fideles, seu verā fide praditi sunt.

## IX.

Præterea quid clarius esse potest, quàm quod Dominus discretè de infantibus pronūciat, quod credant. Matth. 18. 6. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, QUI IN ME CREDUNT, expedit ei, &c. Quibus Christi verbis plus fidei tribuendum est, quàm si adultorum quispiam centies se credere affirmaret.

## X.

Quod vero Anabaptista, Iesuita, & cum his Beza, obijciūt, puerum hunc, quem Christus accersivit, fuisse jam puerum grandiusculum, & proinde fidei capacem, certè nihil valet. Licet enim parvulus iste, jam ambulare posset, nullū tamen inter illum, & inter infantem incunis jacentem, ratione spiritualis discretionis in intellectu (si cum adultis conferatur) discrimen reperitur: cuius tamen nullā habitā ratione, Christus aperte inquit: QUI IN ME CREDUNT: Et ne dixisse eum opinemur de adultiorib. solū puerulis: cōfestim subdit, de quib. nā loquatur, nimirū de omnib. infantib. inquitens: Non est volūtas patris mei, ut pereat VNUS de pusillis istis.

## XI.

Posse autem Deum in istis infantibus nondum ratione utentibus fidem excitare, licet modus & ratio à nobis nec comprehendi, explicari vè queat: patet, tum insigni Psalmistæ dicto: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem: Psal. 8. 3. Psal. 71. v. 6. tum etiam exemplo Jeremia, & Iohan: Baptista, qui juxta Gabrielis vaticiniū (replebitur sc. Spiritu S. adhuc in utero matris) sic fuit repletus, ut præ gaudio, ob præsentiam Salvatoris sui, itidem in alvo maternā delitescens exultavit: Luc. 1. 15. 41. 44.

## XII.

Quod iterum in Colloq. Mompel: Beza hic garrit: falsò colligi ab exemplo Baptista particulari, ad universale omnium infantium. Respondeo tum demum collectionem fore falsam à particulari ad univer-



sale, aut ab exemplo ad regulam, quando particulare, & exemplum ostenderint discrepare à regulâ: Sed quando exemplum & particulare cum regulâ congruit: tunc idem valet exemplum & particulare, quod regula universalis. Cum igitur habeamus regulam Christi, quod infantes in Christum credant Matth. 18. 6: ideo hic rectè colligitur à particulari ad universale.

## XIII.

Quin etiam falluntur adversarij non discernendo in Ieremia & Iohanne id, quod reverà erat singulare, utpote heroicus fidei gradus & peculiare lumen, ab eo, quod cum istis omnes regenerati infantes commune habent, quod est salvifica fides. Si proinde concedant, ut concedere necessum habent, Iohannem & Ieremiam in tenerâ illâ atate fide fuisse donatos, oportet, ut vel peculiarem causam significant, cur isti & non cæteri Ecclesie inserti, omnes fidem in infantia adepti sint: vel si causam reddere nequeunt, ut reverà nequeunt, coguntur fateri, reliquos omnes, per Sacramentum Ecclesie initiatos, fidem adipisci. Nam quod isti duo peculiari gradu fidei, & aliorum donorum jam tum in tenerrimâ illâ atate fuerunt divinitus exornati, id quidem rationem habet manifestam, ut nimirum ad munus suum Propheticum instructiores essent: cur autem fide in Christum salvificâ in infantia fuerint imbuti, id omni ratione caret, si fides alijs denegetur. Imò cū maxima pars infantium moriatur ante annos discretionis, injustitiâ & odio erga infantes Deus non careret, si illos, quos in longam atatem superesse volebat, fide instruxisset, istis, qui simulac nati, & baptizati sunt, extinguuntur, fidem denegaret. Si vero Ieremias & Iohannes infantes capaces fuerunt donorum Spiritus S. ad munus docendi pertinentium, cum ratione uti nondum possent, cur queso infantiles animæ à Spiritu S. faculâ fidei illuminari & accendi non possent?

## XIV.

Proinde quod Deus extraordinariè & immediatè Iohanni contulerit, id hodie nostris infantibus mediatè & ordinariè, per Baptismum conferre solet: utcumq; illorum fides soli Deo nota, per Symbolum exultationis, aut alia manifesta miracula sese non prodat, ut certis de causis in Baptistâ Embrione adhuc existente, factum est.

## XV.

His ad stipulatur D. Augustini argumentum de verbis Apostoli Serm: 14. Vbi post allegatam Christi sententiam Mar. 16. 16. Qui crediderit

diderit & baptizatus fuerit &c. sic interrogat Pelagium: Vbi ponis parvulos baptizatos, profectò in numerum credentium? Nam ideo & consuetudine Ecclesie antiqua, Canonica, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et sic de his querimus: iste infans Christianus est? Respondetur Christianus: Catechumenus an infidelis? Fidelis utiq; à fide, fides à Credendo. Inter CREDENTES igitur parvulos numerabis, nec judicare aliter ullo modo audebis, si nò vis apertus esse hereticus. E: ideo habent vitam aeternam, quia, qui credunt in filium, habent vitam aeternam. Noli eis sine ista fide, & sine isto Sacramento ipsius fidei promittere vitam aeternam.

## XVI.

Arguit hic Bellar. lib. 1. de Baptis. cap. 11. D. Chemnitium vani mendacij, quasi pro fide parvulorum temerè Augustini testimonium allegasset, cum potius contrarium senserit, & omnem fidem infantibus denegarit: utpote dum scribat tract: in Ioh. 80. & còtra Donatist. lib. 4. c. 24. parvulos baptizatos nondum posse corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem: Et Epistola 57. ad Dardanum: infantes scire divina non posse, qui nec humana norint. Et de peccat. mer. lib. 1. cap. 19. Parvulos baptizatos nondum habere sensum fidei.

## XVII.

R. Inspiciat quaso Bellarminus Augustini verba & mentem, & distinguere discat, inter fidem simpliciter dictam, & inter modum fidei, & tunc desinat alios arguere mendacij, quo ipse totus confusus & compositus est. Augustinus certè nò de fide simpliciter, sed de modo, hoc est, de proprietatibus & accidentibus fidei differit, qua solum in adultis cadit: ut quod credere se sciant, & fidem suam exerere possint auditu, meditatione, & apprehensione verbi predicati &c. Sicut semetipsum explicat. Epist. 57. Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant habitare Spiritum S. Sic n. cum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum & nesciunt mentem suam, cuius in eis ratio, quã uti nondum possunt, veluti quadam scintilla sopita est, excitada aetatis accessu.

## XVIII.

Quod vero alibi disputat, parvulos baptizari aliena fide, utpote parentum, patrinatorum, &c. serm: 14. de verbis Apostoli Epist: 23. 57. 105. Item còtra Donatist. lib. 4. c. 24. Id non ἀπλῶς intelligendum est, quasi omnem actionem operationemq; Spiritus S. in parvulo, dum baptizatur, negat: & prorsus aliena fide cum regenerari censet: minime, sed



sed quod aliena fides offerat eos ad baptismum, ut Spiritum S. operan-  
tem in eis intrinsecus & occultè regenerationem accipiant: ut videre  
est Epist. 23. Aliena, inquit, fides, offert parvulum ad Baptismum.  
& ibi aqua forinsecus exhibet Sacramentum gratia: Spiritus v. intrin-  
secus operatur beneficiū gratia. XIX.

Et hanc mentem esse Augustini ipsa eius verba ostendunt rectè  
considerata, & idē testatur tum B. Lutherus in lib. de Capt. Babyl: tum  
etiam formula Concordia. Igitur indubitato ac infallibiliter conclu-  
dimus, infantes veram salvificam, omnibusq; modis perfectam ha-  
bere fidem, siquidem unica tantum est fides, quæ meritum Christi ap-  
prehendit Rom. 4. 21. 2. Cor. 1. 20. Eb. 6. 17. 1. Ioh. 3. 21. 24. Eb. 10. 19.  
Et dicimus cōtrarium sentientes meridianā luce, more vespertilionis  
cæcutire, veritatemq; ipsius Salvatoris, serio de illorū fide affirmantis,  
fugere, & amplecti nolle. XX.

Ut autem istorum hominum futilitas magis elucescat, repudiatis  
ceteris, ipsum Bellarminum, omnium Iesuitarum patronum, in visere,  
& quid is in aureo suo jactet flumine, paulò examinare placet.

## XXI.

Primum enim lib. 1. de Bap. cap. 11. obijcit, quare infantes non ha-  
beant actualē fidem, quia, inquit, nesciunt, se habere eam, & cū adole-  
verint, se habuisse ignorant. XXII.

Resp. Committit Sophista παραλογισμὸν παρὰ τὸ μὴ αἰτιῶν ὡς αἰτιῶν.  
Principalem enim fidei causam, non ipsam rationem constituimus. Illa enim  
non per carnalem generationem nobis adhæret, & innascitur, nec humana  
comparatur industria, quia non est κοινῶν ἐννοιῶν, neq; etiam talium νοημά-  
των conceptus, quæ ortum habeant ex ratione: Neq; etiam humanum intel-  
lectum ponimus. Ille enim quando foras prorumpit, magis nocet, & impe-  
dit hominis salutem, quam ut eandem promoveat: Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14.  
Nec homines credunt secundum humana intelligentiæ facultatē, sed ἡ τῆς  
ἐνέγχαρ τὸ κρᾶτος τῆς ἰχθύος θεῶ. Eph. 1. 19. Idcirco αἰτιῶν κύριον fidei di-  
cimus esse ipsum Spiritum sanctum. Fides enim Donum Dei est planè gratis-  
tum Ioh. 6. v. 44. 2. Thess. 3. v. 2.

## XXIII.

licet vero infantes, cū adoleverint, fidem in infantia habuisse igno-  
rent: nihil sanè hoc ad rem facit. Nam homines verè fideles & adulti  
habent & retinent fidem, quantum vis nesciant, ut in somno, ubi omnes il-  
lorum sensus sunt ligati: In tentationibus Luc. 5. v. 8. 9. Psal. 22. 1. 87. 5.



in Melancholia, & alijs gravioribus paroxysmis morborum: Sic infantes nesciunt, & se accepisse in infantia baptismum. Ergo propter ignorantiam istam baptismi compotes facti non sunt? O præclaram hanc sapientiam!

## XXIV.

Sic Baptista in utero novit ipsum Christum in individuo: Cum vero adoleverat, tametsi fides in Christum, in ipso manebat, individuum tamen personam haud amplius notam sibi fuisse testatur, quando ait: Ego nesciebam illum Ioh. 1. 32.

## XXV.

2. Opp. Si infantes haberent fidem actualem, non vocis ejulatu, & motibus corporis reluctarentur & baptismi obstreperent. Præf. Tom. 2. de Sacri. & lib. 1. de Sacri. in genere, cap. 14. Et novelli Iesuitæ in Colloq. Ratisb. ajunt: Nemo prudens sibi potest persuadere, quod PARVULI CREDANT, qui manibus & pedibus reluctentur baptismi.

## XXVI.

Resp. Committunt Iesuitæ fallaciam παρὰ τὸ συμβεβηκός. Quod enim infantes ejulatu, & vagitu obstrepant baptismi, & manibus pedibusque eidem reluctantur; illud sanè ex procrese oriri non potest, siquidem reverà usu rationis destituuntur Deut. 1. v. 39. Rom. 9. v. 11. aded, ut, ubinam locorum versentur, scire haut possint. Sed fit ex accidente, quod forsitan natura vel internè vel externè, re adversa corporali affligatur, unde dolorem haurit, & sic in gemitum prorumpit. Proinde quemadmodum nemo hominum adultis in summo mortis agone constitutis & cruciatus corporis gemitu & gestibus declarantibus fidem denegare potest: ita propter ejulatū, & vagitum puerorum, qui ex naturali causa originem habent, nemo quoque fidem adimere audebit.

## XXVII.

Tandem cum testimoniorum evidentiâ satis constrictus & convictus sit, infantes sine propria fide salvari non posse: aliam fidem, quam habitualement nominat, comminiscitur, quæ infantibus in baptismi effundi solet: sed quid per eam intelligat, paucis perpendemus.

## XXVIII.

Aristoteles lib. 4. Metaphys. cap. 20. habitum facit duplicem: unum αὐτὸ ἀπὸ τοῦ ἀπολύτου: alterum κατὰ ἄλλο transitivum seu relatum. Absolutus quidem habitus est nihil aliud, quam διαθεσις καὶ ἢ ἐν ἢ καὶ ὡς διακεταί τὸ διακειμένον: Exempli gratia. habitus virtutū, vitiorū, scientiarū, artium &c. Transitiuus vero habitus est ἐν ἐστὶν ἢ ἐξ ἢ ἐκ ἢ ἐκ τῶν ἐχόντων καὶ ἐχομένων, ὡς πρὸς πρῶτον ἢ ἕτερον ἢ κίνησις: ὅταν γὰρ τὸ μὲν ποιῆ, τὸ δὲ ποιῆται, ἐστὶ ποιησις μεταξὺ: E. g. Transitiuus dicitur habitus bonus aut malus, corporis, valetudinis, domini ad servum, uxoris ad virum &c. Sic Apostolus Heb. 5. 14. fidelibus tribuit ἔξω habitum fidei, qui fidem suam quotidie erga DEUM exercent.

Hac

## XXIX.

Hac differentiâ habituum posita: proferat sese nunc Bellarminus, & aperte dicat, cujusmodi fidei habitum infantibus adscribat, absolute, an transitivum, vel relativum. Si absolutum, qui est qualitas immanens, ijs tribuat, bene est. Sic enim eis non veram, sed mortuam tribuit fidem, qualem etiam ipsi Diaboli habent, quâque contremiscunt, Iacob. 2. 19. Si vero fidei habitum foras ad objectum, Christum sc., transeuntem infantibus assignat, quod meritum Christi sibi applicare, & apprehendere possint, fateatur modò, tunc sanè cum ipso non litigabimus: Sed hic est mutior, ut ajunt, pisce. Videtur igitur consentire absolutâ fidei qualitate infantes esse præditos.

## XXX.

Et hoc quoque proprijs suis verbis probat, quando scribit, infantibus in baptismo infundi habitus fidei, spei, & charitatis, sicut Scholastici gratiam habitualement virtutum parvulis infundi tradiderunt.

## XXXI.

Quare fides sic accepta neminem salvare potest. Illa enim non justificat, non regenerat, nō salvat absolutè, quatenus in predicamento qualitatis est habitus voluntatis, & mentis: seu non justificat formaliter, respectu sui ipsius, sui dignitate, præstantiâ, & essentiâ. Sed justificat relatè, quatenus in predicamento relationis versatur circa suum objectum, non assensione generali, sed individuali & fiduciali apprehensione, ita ut apprehendat, accipiat, & privatim sibi applicet promissionem gratiæ, in eaq, ad justiciam acquiescat. Rom. 3. 12. 4. 5. 5. 1.

## XXXII.

Edisserat etiam Esauita istud, quomodo infantes capere queant habitum fidei, charitatis, spei, si ad accipiendam fidem salvificam non sunt idonei. Si enim ideò salvifica fides infantibus denegatur, quod ratione non utuntur, quod eam se habere nesciunt, quod reluctantur, cur non eadem hæc argumenta valerent, ad evertendam habitualement fidem, charitatem, & spem: Si vero istis nō impediens nihilominus infantes habent habitualement fidem, charitatemq, nihil utiq, hæc obstabunt fidei salvificæ & actuali. Atq, hæc de Padobaptismo & de fide infantium, qua baptizantur, συζητήσεως ἐνεκα dicta sufficere arbitramur.

## Errata.

In the: 36 pro agengendum lege agendum. Thef. 37 pro κωφεία lege κωφεία.

DEO SOLI GLORIA.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







441.  
23



TIO V.  
TISMO,

DA PARTE  
CILII TRIDEN-  
sissimi viri, Dn. D.  
HEMNITII,

onstans.  
no.  
tizatorum.  
ilandam  
de

GESNERO,  
in Academia Witeb.  
plo Arcis Elect. 15,  
istiano 1603.

SEMANNVS,  
gensis.

ER G Æ  
isnerianis,

